



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

IV. Origo usus illius petitur è jure primatus; quod auctoritatem tribuit Pontifici, & synodo consensum. Sic munia cujusque partitur Leo. Probatur etiam ex iis quæ gesta sunt in synodo Romæ habita sub ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15617

manis, qui de se his verbis loquuntur: *Nostram parvitatem huic sancto Concilio pro se pre-
sistere precepit (Leo). Ideoque necessarium est,
hec qua in medium proferuntur, per nostram in-
terlocutionem disceptari.* Statim vero libellos
adversus Dioscorum porrectos recitari ju-
bent, ejusque contumaciam tribus edictis
evocati, & sistere se iudicio recusantis, con-
demnant. In qua damnatione illud obser-
vandum est, Legatos primam sententiam
protulisse, synodumque sententia quoque
sua Legatis suffragatam. unde constata est
plena Dioscorigo damnatio ex auctoritate
Pontificis & Concilij. Hunc vero ordinem
tenuit Paschasius. Ter synodum interpella-
vit quid videretur agendum de Dioscorigo.
Respondit synodus, canonicis poenis subden-
dum. Iulianus autem Hypaporum Episco-
pus a Legatis petivit, qui τὸ νόμος Leonis ha-
berent, ejusque locum occuparent, ut con-
tra Dioscorum poenas a canonicis inflictas
decernerent. *Omnis enim & tota universalis
synodus concors efficitur vestrae sanctitatis senten-
tie.* Quod etiam Maximus Antiochiæ testa-
tus est. Tunc recitatis Dioscorigo flagitiis, ejus-
que perspecta in scelere obstinatione, Pas-
chasius non solum censuit a synodo con-
demnandum, sed etiam ex auctoritate Leo-
nis condemnavit. Referam ejus verba, prout
se habent in epistola Leonis ad Episcopos
Galliæ, cui exemplar sententiæ latæ adver-
sus Dioscorum adjunxit, iisdem verbis quæ
Paschasius protulit, qui Latine loquebatur
in synodo. *Vnde sanctus ac beatissimus Papa ca-
put universalis Ecclesiæ Leo per nos, ut Legatos
suos, sancta synodo consentiente, Petri Apostoli
predicatus dignitate, qui Ecclesiæ fundamentum
& petra fidei, & caelestis regni sanctorum nuncupa-
tur, episcopali eum dignitate nudavit, & ab om-
ni sacerdotali opere fecit extorrem. Quare super
his congregata venerabilis synodus canonicam
contra predictum Dioscorum proferat justitia sua-
dente sententiam.* Recensentur deinceps in
Actis Episcoporum omnium suffragia qui
Dioscorum deiciunt.

III. Sed observandum est, iudicium con-
ceptum fuisse a Paschasio sub nomine Leo-
nis, de synodi consensu, quem consensum
patres statim verbis explicuerunt, & senten-
tiæ Paschasiani subscriplerunt, nulla senten-
tiæ formula sub nomine synodi concepta.
Fateor quidem missum esse ad Dioscorum
sub synodi nomine Commonitorium, quo
docebatur damnatum fuisse, & episcopatu
dejectum a Concilio. Sed rescriptum illud
longè differt ab exemplari sententiæ a patri-
bus subscriptæ. Itaque mirandum non est si
posteriora generalia Concilia in Occidente
celebrata concepta sint ut plurimum sub no-

mine Pontificis, sacro approbante Concilio, cum
traxerint exemplum ab hac formula, *Leo per
nos Vicarios suos sancta synodo consentiente &c.*

IV. Hoc proficitur è primatus jure,
quod auctoritatem tribuit Pontifici, & syno-
do consensum. Sic munia cujusque partitur
Leo, loquens de scriptis a synodo Romana
patriarchali missis in Orientem ad Martia-
num Faustumque Presbyteros. Potiori enim
ratione Summus Pontifex in synodo Roma-
na utebatur jure relationis & suffragij præ-
rogativa. Cujus rei usus eleganter expressus
est in synodo Romæ habita sub Hilario Papa.
Refert ille synodo de transgressione cano-
num, quæ frequentissima erat in ordinatio-
nibus Episcoporum, ad se, qui potissimi Sa-
cerdotis administrat officia, talium vitiis
culpam pertinere dicens, nisi huic malo pro-
spiciat. Deinde vetat ne bigami, inscij lite-
rarum, membrorum damna perpessi, & pœ-
nitentes, ad sacros gradus adspirent, pœnis
in ordinatores latis. Tum petit a patribus sy-
nodi ut huic Constituto subscribant, *quate-
nus synodali iudicio aditus claudatur illicitis.*

V. Non opus erat diligentiori examine in
re tritissima & a canonicis toties vetita.
Quare omnes Episcopi & Presbyteri in ac-
clamationes eruperunt, Hilario vitam precati,
quæ proposita erant confirmantes. *Ex au-
di Christe, Hilario vita. Dictum sexies. Hac
confirmamus, hac docemus. D. VIII. Hac tenen-
da sunt, hac servanda sunt. D. V. Doctrinæ ve-
stræ gratias agimus. D. X. Ista ut in perpetuum
serventur rogamus. D. XV. Per Dominum Pe-
trum, ut in perpetuum serventur rogamus. Dictum
VIII.* Sed majori cura discutienda fuit in ea-
dem synodo consultatio Episcoporum pro-
vinciæ Tarraconensis, apud quos Barcino-
nensium Episcopus supremæ voluntatis arbi-
trio sibi Irenæum quendam Episcopum sub-
stitui optavit. quod clero & plebi civitatis
Barcinonensis & Episcopis provinciæ gra-
tum fuit & acceptum, qui hoc suum iudicium
auctoritate Romani Pontificis firmari pe-
tunt. Hanc consultationem retulit Hilarius
Papa ad synodum, sed cum suffragij sui præ-
rogativa. Sic enim inquit, post repressam gra-
vibus verbis sacerdotiorum successione:
*Quod quàm grave sit, estimate. Atque ideo, si
placet, etiam hanc licentiam generaliter de Eccle-
siis auferamus; ne, quod turpe dictu est, homini-
bus se putet debere quod Dei est.* Tum relectis
Episcoporum Tarraconensium literis, qua-
rum recitatio variis acclamationibus synodi
interrupta est, Hilarius Episcopus dixit: *Ac-
ceptis que recitata sunt, de omnibus nunc, fratres,
speciales sententias Deo vobis inspirante depromi-
te.* Sex Episcopi provectiores ea de re cen-
suerunt, prout oratione sua Pontifex synodo

Leo ep. et. Si rã-
men dilectioni ver-
ba trahi scripta
nostra potuerit;
que non solum a-
postolica fides au-
thoritate, sed etiam
sanctæ synodi, qua
ad nos frequent
convenerat, unda-
ministrate directã
fuit.

In Decretis Hilari.

Uel Chalced.
lib. 111.

Alibi à concilio
Cano vno illa,
Cano vno illa,
Eisdem à se illa,
Appl. Petri
pauca d'apost-
ro quibuscumq;
Basilien. concilio
et quædam
tota illa
Apost.

Videtur.